

inter se dissidentes ad concordiam revocavit. A Caeterum hoc anno 906, R. P. Laguille die 13 Aprilis, Wymphelingus die 12, Waldrammi mortem pag. 238, nisi quod ea refert ad annum 906. consignant.

WALDRAMMI CARMINA.

Vide supra in SALOMONE Constantiensi. Carmina utriusque propter arctam quam inter se habent connexionem, disjungere nolimus.

ANNO DOMINI DCCCCXX.

ODILO

MONACHUS S. MEDARDI SUESSIONENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Lat.)

ODILO monachus S. Medardi apud SueSSIONenses in Gallia ord. Bened. circa A. 930 scripsit ad Ingrannum cœnobii sui decanum, postea anno 932 episcopum Laudunensem, *de translatione reliquiarum S. Sebastiani martyris et Gregorii M. papæ* in SueSSIONense S. Medardi A. 926 facta, quod sine nomine auctoris edidit Bollandus tom. II Januarii 20. pag. 270-293; sed auctori restitutum suo et præfatione ejusdem locupletatum Mabillonius sæc. IV. Benedictin., pag. 383. Verum epistolam ad eundem Ingrannum *de adventu et susceptione corporum SS. martyrum Tiburtii Marcellini, et Petri, Marcelliani et Marci, Probi et Hyacinthi, Marii et*

Marthæ, Audifax et Abacum, Abdonis et Senni, editam ab eodem Mabillonio pag. 411, suppositiam et nullius fidei esse disputat Papebrochius in Actis Sanctorum, t. I. Junii 2, pag. 206, seq. Præter hæc scripta a Fabricio indicata, Scriptores Historiæ Litterariæ Gallicæ memorant ejusdem epistolam a P. Martene vulgatam ad Huebaldum monachum S. Amandi, sicut et eidem vindicandos censent sermones tres, quos sine nomine auctoris vulgatos legimus in Bibliotheca Floriacensi, tom. II, pag. 136. Vide Historiam illam ibidem tom. VI, pag. 175.

ODILONIS MONACHI

LIBER

DE TRANSLATIONE RELIQUIARUM S. SEBASTIANI MARTYRIS

ET

GREGORII PAPÆ

IN SUESSIONENSE SANCTI MEDARDI MONASTERIUM.

(Acta sanctorum ordinis S. Bened., tom. V.)

MABILONI OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Libelli sequentis, quem, excepta præfatione, in lucem edidit Joannes Bollandus sub Anonymi nomine, auctor videtur Odilo Monachus Medardensis, Ingranno monasterii decano, Carolo Simplice regnante. In pervetusto enim codice membraneo venerabilis viri Claudii Jolii, canonici ac cantoris ecclesiæ Parisiæ, qui codex olim fuit monasterii S. Medardi, huic libello præfigitur ista inscriptio: EPISTOLA ODILONIS AD INGRANNUM, et est alia etiam ejusdem Odilonis lucubratio ad ipsum Ingrannum de translatione sanctorum martyrum Tiburtii, Marcel-

lini, etc., quam postea exhibebimus. Corrigenda proinde inscriptio codicis Resbacensis, in quo subjectus liber Rodoino auctori tribuitur. Errandi occasio nata est ex conclusione libri, ubi Rodoinus *actudulam* de Sebastiani miraculis reliquisse memoratur. Porro Ingrannus decanus vivebat procedente sæculo decimo, ut constat ex Frodoardi Chronico ad annum 932, quo « Ingrannus decanus monasterii sancti Medardi episcopus Lauduni ordinatus » fuisse perhibetur. Ubi observare convenit, tum temporis pleraque monasteria, quibus impositi erant *saeculari*